

I.

Amor semper numerat.

Addit & subtrahit,

Multiplicat & dividit.

Addit, ut augeat,

Auget, ut conservet.

Conservat, ut posteritati relinquat.

Additionem tamen dixeris Subtractionem,

quia amor alteri parti eripit,

quod alteri tradit;

nec traditum relinquit,

sed suo tempore repetit.

Tanto tamen temperamento inter ambas partes agit,

ut nec privata doleat sua damna,

nec aucta jactitet laeta trophaea.

Et quoniam Multiplicatio est compendiosa Additio;

amor toties multiplicat,

quoties addit.

Si partes multiplicationem progredientem minus intelligunt,

progressam admirantur,

cumulatum ex parvis acervum stupent.

Multiplicationem jucundam

jucunda reddit Divisio,

dum amor inter pares

impria distribuit officia.

Quae enim altera pars suppeditat,

altera infucata fide recipit,

recepta in suppeditantis commoda vertit,

ut in altum opus excrecant.

SPONSE EXOPTATISSIME,

hactenus numerasti & non numerasti.

Numerasti, dum numeros docuisti alios.

Non numerasti, quia tristem viduitatis unitatem retinuisti,

Haec enim principium numerorum, non numerus est.

Si numerus infert multitudinem haec eam nescit;

Et, si in partes resolvi potest, unitas nullas habet.

Attamen nunc vertis unitatem in numeros,

annuente numerorum autore,

succinente amore

& stimulante aetate,

sapientissimeq; pulcrum meditaris opus,

quod felicissime cupis exsequi.

Quare adde

dum pars altera amori nihil subtrahit.

Adde parum parvo

ne festinando parum proficias;

& successivo labore continua,

quod laetus intueri cumulatum opus cupis.

Nihil subtrahe nisi mala,

quae Familiae nunquam addita,

subtracta semper efflagitas.

Multiplica cum Socia dilecta,

quae coelum multiplicare jubet.

Multiplica pietatem,

ut multiplex ipsi benedictionis abundantia respondeat.

Multiplica laborem

ut sua Familia incrementa capiat,